

Nf. 23.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
 PRORECTOR
 IOANNES GOTTLIEB
 HEINECCIUS, IC.

POTENTISSIMO REGI PORVSSIAE A CONSILIIS
 SANCTORIBVS, IVRIVM ET PHILOSOPHIAE
 PROFESSOR ORDINARIVS,

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE
 ET
 PROFESSORIBVS RELIQVIS,

RELIGIOSAM CELEBRATIONEM MEMORIAE

EFFVSI SPIRITVS SANCTI

Ex Rom. VIII, 15.

CIVIBVS ACADEMICIS
 HVMANISSIME COMMENDAT.

ak.

HALAE MAGDEBVRGICAE
 LITERIS HENDELIANIS.

Festum Pentecostale rursus instans postulat, vt vobis, **CIVES** **CARISSIMI**, donum illud Spiritus Sancti laudetur & commendetur. Cum vero inter praeiudicia, verae pietati contraria, non vltimum locum obtineat illud, dum vulgo putant homines, seruitute quadam intolerabili premi Christianos veros; quae quidem sententia plane contraria est verbo **DEI**, vt pote quod Spiritum Sanctum, quo fideles aguntur, tanquam Spiritum filialem nobis repraesentat: non inutile erit, si eum sub hoc dulci & iucundissimo caractere vobis hoc Programmate Pentecostali colaudemus. Quod optime fieri poterit ex Rom. VIII, 15. vbi haec sunt verba: *Ὁυ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον, ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἰοθεσίας, ἐν ᾧ κρείζομεν, Ἀββᾶ, ὁ πατήρ. Non enim accepistis spiritum seruitutis rursus ad timorem, sed Spiritum filiationis, in quo clamamus Abba, Pater.* Quae vt rectius intelligantur, attendamus simul ad filios cum patribus suis conuersantes.

Occurrit vero apud filios, blando patre familiariter vtentes, 1) *Fiducia* quaedam certa in patre collocata; quam his verbis Apostolus innuit, *non iterum ad timorem*: 2) *Verus* quidam, simplicissimus, non fucatus & filialis amor; quem Apostolus voce illa charitativa, *Abba, pater!* optime expressit.

Fiducia filiorum erga parentes *primo* se exferit, in familiari & ingenua *consuetudine* cum illis; quae facit, vt omnia quae aliis occulta esse volunt, parentibus dicant, confidentes, se ab illis non contemptum iri: immo quae facit, vt animus, his curis in patrem quasi prouolutis, hilarior & serenior fiat. Nec opus esse verbis multa arte compositis opinantur; sed ingenue & libere animi desideria proferunt. Attendant iam ad se *filii mundi*, num illis liceat sine exulcerata conscientia summam istam miseriam, peccata nempe voluntaria, quae scientes volentesque continuatur sunt, Deo confiteri? num hoc vnquam ab ipsis fiat? num fieri sine illusionem numinis possit? num sine infinite exacuandis moribus conscientiae? Sed quantis bonis perfrui, siquidem vellent, possent! Ad vos iam prope- randum, ad quos haec propius pertinent, ad vos, inquam, qui *sub ira Legis* ingemiscitis: consideretis, quaeso, vestrae mentis statum, & benignissimam Patris vestri voluntatem. Confiteamini, quaeso, coram ipso omnia, quae vobis molestiam creant, quaeque ab hominibus

minibus celatis: non hinc attentionem denegabit. Cernitis fortasse tantum miseriae, tantulum iusti rectique propositi, vt paene coram DEO cohorrescatis: at reputate, infantes miserrimum quoque rerum suarum statum patri confiteri. Id igitur & vos faciat, sinatisque, vt animus curis leuetur. Non opus arte est, sed quae verba optime vestrum statum exprimunt, ea promatis. Nec ingentem affectum desiderii, aut gradum ardoris in rogando parentes deposcunt, sed veritatem tantum & ingenuitatem in precibus filiorum requirunt.

Occurrit porro apud filios certa fiducia, fore, vt omnia bona, quae in manu parentum sunt, facile consequantur. Si saepius sua ipsorum culpa parentes laedunt, non quidem rem nihili inde faciunt; dicunt tamen ea, quae commiserunt, parentibus, veniamque rogant, & certo credunt, parentes ideo ipsos non iure filiorum, non patria domo priuare velle, siquidem supplici manu ipsis occurrant. Vos, o miserrimi, qui vos ab oculo DEI omniscio celari putatis posse; haec spes vos fallit. Redeatis potius, ad instar filii perditii; dicatis, non digni sumus, quos filios Tuos reddas. Ad eum, inquam, redeatis, qui affectum patris, etiam perditissimis seruauit, qui que effusus quasi in misericordiam vos recipiet. Vos vero, qui peccata vestra tanquam praesentia coram DEO cernitis, quare illum non potius vt patrem, quam vt iudicem, agnoscitis? vt patrem inquam, qui misericordia commouetur erga filios, Ps. CIII, 13. 14. Non seruitutis spiritum vobis daturus est, vt rursus timeatis; sed vos summa miseria afflictos, grauissimeque decumbentes sanaturus accipiet. Num putatis patri placere posse, si filius, qui culpam suam aegerrimo & maxime contrito animo confessus erat, cuique veniam promiserat obtinendam, quoties illam vere expeteret, solaminis expers crederet, patrem sibi adhuc letali odio irasci? Vobis vero non semel, sed millies promisit DEVS, se paternum vobis animum praebiturum. At dicitis, patrem toties a filiis non laedi, quam DEVS a vobis laedatur. Verum DEVS, qui optime hominum peruersitatem nouerat, patrem tamen illorum, etiam praeuisa hac summa miseria, se fore promisit. Haec vero vestris humeris longe grauiora esse, quae hucusque de hoc spiritu fiduciali eiusque negotio dicta sunt, facile vel agnouistis, vel tentamine facto agnosce-

Hanc ob rationem quid faciendum est? nisi ut instantibus precibus patrem flagitetis, ut hunc potentissimum filiationis Spiritum vestrae infidelitati opponat. Confidunt porro filii, parentes prohibuituros, quo minus malo adficiantur, aut se ipsos adficiant, & viam pericula euitandi lubenter monstraturos. Vos, qui secundum carnem viuitis, hancne in DEO fiduciam reponitis? Vobis dixit, *vos morituros esse*, Rom. VIII, 13. meliora, hac via pergentes, ne speretis. O miserissimam miseriam, quam cum spe omnigeni in aeternum boni permutare, dubitatis. O tenebras! quietem carnis anteferre pugnae tam salutari, tam egregios fructus excitaturae; pugnae inquam poenitentiae & fidei. Vos vero, qui quem quaeritis, vobis inimicum esse creditis; quique, dum perversitatem dolosque vestri cordis nouistis, timetis, ne vobis rependat secundum opera vestra, & ne vos, licet auxilium eius implorantes, incidere in eiusmodi tenebras sinat, ut voluntatem eius non perspicientes turpissime lapssetis: meliora de eo sperate. Quid seruos imitari vultis, qui timent, ne dominus ea, quae postulat, ipsis non dicere, posteaque crudeliter erga ipsos grassari velit? Num pater, cuius animo dolor filii aegritudinem excitat, vel amore poenae ductus vel negligentia, filium ea sinet facere sine vlla admonitione, quae ipsi dolores & verbera excitatura sunt? Quid vos igitur de DEO creditis? o parua fide instructi!

Filius bonae notae confidit quoque, fore, ut omnia, quae a patre petierat, sibi concedantur, siquidem non noxam magis, quam commodum ipsi allatura sint. Videtisne igitur vos, quotquot secundum carnem viuitis, quanto vos privilegio ipsi priuetis culpa vestra? Poteratis eo gaudere, siquidem velletis; sed eo adhuc statu estis, ut tanti beneficii usum neutiquam vobis polliceri possitis, ea, quae vobis vere vtilia forent, ingenuo animo non expetentes. Vos contra, qui certo persuasi estis, ea, quae rogatis, verum vobis usum praestitura, quique ea sincero desiderio anhelatis; curate, ut hic spiritus filialis certam exauditionis fiduciam in vobis operari possit. Si vero ea, quae DEVM rogauistis, vobis data videritis, ne illud tanquam casum fortuitum intueamini, sed per eundem spiritum filialem, pro implemento precum vestrarum habeatis, filiorum exemplo, qui, si quid eorum bonorum, quae a parentibus petierant, sibi

sibi vel absentibus, vel non sentientibus in scriniis suis reposita viderint, facile auctorem beneficii patrem esse augurantur, eique gratias agunt. Hoc vtinam & vos facere velletis, vt inde fides vestra confirmaretur, DEVSque ad exauditionem precum vltiorem excitaretur, qui PFL, 23. dixit; *Qui gratias litat, ille me glorificat; & haec est via, vt ei monstrem salutem DEI.* Iam vero facile patebit vigilantia industriaque cor scrutantibus, hoc ipsum in ipsorum vribus plane non esse; & si vel velint gratiarum actione fidem corroborare, DEVSque argumenta quasi exauditionis adferre, deprauatam intime indolem cordis, meritum ex eo quaesituram, quod pro beneficio contemplari debebat. Hinc ad simplicem illum & infantes imitantem Spiritum filiationis concurrendum est, deque nobis plane desperandum.

Ad secundum iam momentum properandum est, quod filialis hic Spiritus operatur, hoc est ad verum & filialem erga DEVM amorem. Filiorum bene animatorum amor erga patres semper excedit amorem seruorum erga dominos: eadem ratione solus hic Spiritus filiationis intimum & tenerrimum DEI amorem efficere potest. Caritas, qua filii patres amplectuntur, existit ex filiali fiducia & familiaritate: hac eadem via Spiritus filialis intima cordis amore DEI implet, maiusque opus adgreditur, quam vt externa tantum inimicitiarum vestigia coerceat, animum certum reddens, de ingenti & in infinitum prolato patris amore, & inde enata oblivione omnium peccatorum, factaque adiudicatione iustitiae fidelissimi & amantissimi Seruatoris, ex mera gratia, collato i Ioh. IV, 10. Quid igitur dicemus? Illiae vere DEVM amare poterunt, qui secundum carnem viuentes, eum vt hostem, vt condemnatorem, vt interpellatorem omnis voluptatis & laetitiae contemplantur? Aut an illi, vero, intimo & tenerrimo amore eum amplectentur, qui seruitutis tantummodo spiritum acceperunt? Huc oculos aduertant, qui timentem cohorrefactumque animum, esse animam Christianismi opinantur. Commiserationem potius, quam delectationem & beneplacitum benignissimo Numini excitabunt, vtpote quod, non certum lacrimarum numerum, sed cor nouum, vera fide & amore animatum, desiderat. Patiamini igitur hunc Spiritum filialem liberrime in vobis operari, eique ne impedimento sitis, caueatis.

Hic vero amor exlerit se, *primo* in conuersatione cum Deo. Filii interdum longiora & magis continua cum parentibus institunt colloquia, interdum satis habent, ad spectu illorum frui, & blanda paterni nominis exclamatione desiderium amoremque erga parentes indicare. Hoc vtrumque quoque Spiritus filialis operatur. Ille materiam precibus suppeditat: ille (quod praecipuum est erumpentis quasi amoris indicium) inter ipsa negotia, interdiu & noctu non cessat clamare, *Abba, pater!* Hic ingens est discrimen inter eos, qui DEVM reuerentur, & qui eum non reuerentur: hi, siue negotia exequantur, siue quiescant, aduersus DEVM arma gerunt; illi, non solum omnia quae faciunt, in honorem DEI conferunt, sed etiam ita impleti sunt amore Saluatoris, vt omnia negotia horasque precibus mistis connectent & quasi condiant, collato Pl. CXXXIX, 18. *Euigilans adhuc apud se sum.* Inter bene animatos erga patrem filios hoc porro discrimen intercedit, vt ipse ille amor quosdam sedatos & attentos faciat; alios nimis in hunc affectum verbis & gestibus declarandum effusos, improuidentiores reddat. Quamnam ex his duabus indolem Spiritus filiationis arbitrabimur? Nostra quidem peruersa indoles ita est comparata, vt vel optima huius Spiritus opera improuidentia vel deformet, vel amittat, vt externam potius amoris ostentationem quaerat; Spiritus vero filiationis tranquillos & sedatos animos efficere adlaborat.

Praeterea, quicumque amor iustae indolis est, in obedientia erga parentes sese exlerit, inque defendenda illorum aestimatione. Scrutentur sese filii mundi, qui cum ipsis amor erga DEVM denegatur, rem paradoxam sibi narrari opinantur. En lapidem Lydium! Quid vos magis mordet; DEI gloria laesa, an vanarum quarundam deliciarum contemptus? Vos vero, qui, vt DEO placeatis, estis solliciti, vos inquam non minus in animos vestros inquirete, num filialis obedientia vos gubernet? Quid, si exitum viarum domini perspicere non potestis? si illae vobis periculosae & incertae videntur? si viae patris, benevolentiae & veritatis plenae Pl. XXV, 10. vobis adeo obscurae videntur, vt non huius vitae commoda, sed ipsam vitam aeternam in periculum vocandam timeatis: num passiuam adeo obedientiam exercetis? Nonne potius patrem, alio tramite, alio ordine vos ducentem, quam credideratis, tanquam crudelem confideratis?

ratis? Videtis igitur, quam vobis opus sit Spiritu hoc filiationis, qui obsequentes animos reddat, viasque cordis vestri destruat, & vias DEI acceptas vobis reddat. Immo in omnibus iis, quae legi difficilia sunt, in omni peccatorum vitiatione, hic idem Spiritus egregiam vobis operam praestiturus foret.

Porro amor filiorum exserit se in intima contritione super laesis a se parentibus, non tam ex metu poenae, quam ex amore erga illos. Quicumque igitur viderunt prauitatem animi sui in vilipendendo reatu peccatorum, hunc Spiritum filialem (o egregium contra omnia venena antidotum) precibus expetant, vt non solum de peccato eos arguat, sed & animos ex cognitione imperfectionis non seculares, non languidos in sanctificatione, non desperantes, sed humiles, submissos & gratiae cupidiores reddat. Quid vero maiori poenitudine filium adfcit, quam perspecta diffidentia erga optime animatos parentes? Hoc peccatum diffidentissimum seruitutis spiritus plane non perspicit, sed potius omnia secundum normam faciendi examinat: Spiritum vero filiationis ipse Christus describit, *quod arguere debeat mundum de peccato, quod nempe non crediderint*, Ioh. XVI, 9. En nouam iam rationem excitandi desiderii, & summis precibus expetendi Spiritum sanctum.

Nunc vero, qui secundum carnem viuunt, dicent fortasse: o! perbene, quod DEVS Spiritum filialem daturus dicitur; nos facili negotio, peccata in Christum prouoluentes, hunc Spiritum accepimus. Sed illa fiducia, quae facilis adeo laboris est, quaeque sine lucta & certamine vel nascitur vel pergit, est potius hostilis spiritus veteris Adami, & viam aeternae interneconis facit quam commodissimam latissimamque. Paulus pugnam fidei *ἀγώνα* vocat, ingens illud & effusum certamen pugilum (voce, quam nos quoque de agone mortis vsurpamus, cum vltimus halitus trahitur) indicaturus, quam maxime decertandum esse, vt animus fide a morte aeterna liberetur. Non vero fides placet veteri Adamo, sed hoc ei placet, cum salutem nostram in extenuatione aut aliqua excusatione quaerimus: haec est fides veteris Adami; ea vero, quae ex mera gratia DEI in Iesu Christo iustificationem quaerit, ei interitum parat, & Vatinianum eius odium bene sentit. Videatis porro, num ex hoc Spiritu filiali, (quem vos vobis arroganter sumitis) amor filialis, & praecipue ob-

sequium filiale nascatur; quicumque enim dicit: noui Deum, (nempe ut patrem) & non seruat mandata eius, ille est mendax. 1 Ioh. II, 4. Tandem scrutemini vos, num vnquam fenseritis spiritum seruitutis, qui necessario antecedit. Intueamini filium perditum Luc. XV. Reuertens ne ad patrem iam habebat spiritum filialem? Minime! Sed apud seipsum, dicam, inquit, facias me ut vnum mercenariorum tuorum, v. 19. quam petitionem, vlt demum summa patris benevolentia, praetermittit v. 21. torum se permittens misericordiae parentis. Si igitur cernitis, vos esse inimicos DEI, cur non potius vos quoque reuertimini? Si vel hac in vita serui tantummodo futuri essetis, nonne seruis melius foret, quam hostibus? At non seruos, sed filios vos reddet! Quid igitur dolores horretis & angores in statu seruili perpetiendos, qui tamen infernales aeternorum hostium poenas ne attingunt quidem. En oblatum vobis iam e longinquo Spiritum filiationis, hac in vita accipiendum. Non ad tristem vitam inuitamini ab amatore vitae, sed ut spurias delectationes mundi cum gaudio in Spiritu Sancto, aeterna lamenta cum aeterna & ineffabili laetitia permutetis.

Vos vero, qui seruitutis spiritum experti estis, credatis, Patris voluntatem esse, ut Spiritum filiationis accipiatis, quem vos ipsi vobis dare non poteritis. Audituri igitur hoc festo certissimas Christi de effundendo Spiritu hoc promissiones, ardentissimis, instantissimis & confidentissimis precibus admonete eum, ne hoc dono, quod, ut vobis dare possit, ipsi vita constitit, egenos carentesque vos esse sinat: rogate patrem caelestem, ne verba Filii Luc. XI, 11. 12. 13. (exquisite illa verba) pudefaciat. Hoc vero donum fidelissime custodiatis. Si hic Spiritus vel minimam excitabit fiduciam, ne diffidentia & negligentia eam perdat; sic fideles in parua cognitione cordis paterni, maiorem magisque viuentem & vigentem iusto tempore, at precibus accelerando, accipietis. Id omne vero quod vobis datur, vtinam in amorem quoque DEI conuerti sine retis, & inde vtinam nouas vires colligeretis ad egregie decerandum.

Vestra vero, qui patrem nouistis, summa haec sit gloria. Ne gloriemini de donis vestris, ne de ardore, ne de scientia, ne de robore spirituali; sed quod illum sciatis, qui misericordiam exercet, Ier. IX, 23. 24. Hoc vero etiam festo maiorem copiam huius Spiritus gratis effundi in vos sinite. Praecipue vero curate, ne, quae vobis data sunt, otiosa esse sinatis; sed ut amor quoque filialis inde magis fundetur, confirmetur & corroboretur. P. P. in Academia Fridericiana pridie fer. Pentecost. clo lcccxxxv. (Jov. Musp.)





Ja 30/11

St

Witt

1777





ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR
IOANNES GOTTLIEB
HEINECCIUS, IC.

POTENTISSIMO REGI PORVSSIAE A CONSILIIS
SANCTORIBVS, IVRIVM ET PHILOSOPHIAE
PROFESSOR ORDINARIVS,

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE

ET

PROFESSORIBVS RELIQVIS,

RELIGIOSAM CELEBRATIONEM MEMORIAE

EFFVSI SPIRITVS SANCTI

Ex Rom. VIII, 15.

CIVIBVS ACADEMICIS

HVMANISSIME COMMENDAT.

HALAE MAGDEBVRGICAE
LITERIS HENDELIANIS.

ak.